







LD.
IRTU.

VBALD.

V. VIRVN

PONTICI VIRVNII


Philoſophi, Græcè , Latineq́; eruditiſſimi

VITA

PER ANDREAM VBALDVM

Eius Cognatum deſcripta.






Bononiæ, typis Iacobi Montij. MDCLV.
Superiorum permiſſu.



EX BIBLIOTHECA Conr. G. hæc habentur

DE PONTICO VIRVNIO.



Onticus Virunius Patria Taruisinus Philosophus. Scripsit in Claudianum Commentaria; in sphæram Io. Sacrob. Commentaria: De obscuris Authorum locis, & corruptis nominibus lib. iij. De miseria literarum lib. ij. carmine. De laudibus Beatricis Mediolanensis Reginæ lib. j. carmine. Elegiarum, & Epigrammatum lib. ij. In Erotemata Chrysoloræ Commentarium. In Achilleida Statij Commentarium. In Ouidianam Metamorphosim Commentaria. In Virgilij opera Commentaria. De Arte Diuinandi lib. xvj. Odysseam Homeri transtulit in latinum; item Hymnorum eiusdem Homeri lib. vij. Euripidis Tragedias vj. In Medicina traduxit Theophilum de Pulsibus, & Vrinis, item Æneum de pulsibus, & vrinis. Inuectiuarum lib. j. de Intitulatiobus lib. j. Apollonij Argonautica in latinum vertit

tit in lib. iiij. Alia quoq; multa, & latina fecit, & emisit: Libanij de scribendis Epistolis Opusculum Pontico Virunio interprete extat impressum cum alijs quibusdam. Pontici Virunij Britannicæ Historiæ lib. vj. excusi sunt anno Domini 1542. in 8. vixit sub Ludouico Sfortia.

Ex Bibliotheca Classica Georgij Draudij inter libros Historicos, Geogr. & Politic. sub titulo *Anglorum Annales*. legitur.

Ponticus Virunius Taruisinus scripsit lib. vj. de rebus Britannicis: Augustæ per Alexand. Vveissenhorn 1534. & 1542. in 8.

Apud D. Ouidium Montalbanum Bononiæ in eius Musæo asseruantur varia manuscripta eiusdem Pontici Virunij, aliquot .s. Præfationes, seu Orationes studiorum initiales, Panegyrici, Epicedia, Annotamenta errorum in versionibus cuiusdam Auctoris è Græco in Latinum.

Lexicon Græcolatinum, item Vita eiusdem Pontici per Andream Vbaldum eius cognatum descripta, cum nummismate æneo illius effigiei, &c.

PON-

PONTICI VIRVNII

VITA.



Pontici Virunij vità, nescio profectò si magis mirabilis, vel dolenda fuerit ex omni parte audituro: nam & serie maiorum lachrimabilis mihi videtur; & ex varietate fortunæ, atque ingenij inter præcipuos scriptores, qui è vita discesserunt meo iudicio commemoranda: & vt ordine aliquo procedamus parum altiusculè de maioribus transcurremus propter rerum nouitatem, quæ acciderunt. Georgius quidem Pater Pontici Comensis fuit conterraneus Plinij Nouocomensis, (pacè illorum qui eum facere non erubuerunt Veronensem) est enim Mendrysium ad VI. lapidem versus occasum Como distans oppidum amœnissimum fluuio antiqui nominis, Campora frigida, per medium irrigatur: situs nobilis: aer saluberrimus, & rerū omniū affluens: colles suauissimi à duabus partibus scilicet ab Oriente, & Meridie; cùm ipsum sit in plano: Lacum Luganum ad secundum lapidem habet: à Mediolani Vrbe per triginta milliaria distat: in eodem Oppido Mendrysio ruinæ sunt domus Musoniæ, vel Musionæ, vt in priuilegio Lotharij, & Lindprandi compertum habetur; inter Monasterium Turris adest cum tumulo Sancti Pusemnis, & Templo Diuæ Mariæ Magdalenæ, alta, & longissima facie, itàut ampla Regia Palatium illud fuisse videatur, in cuius medio Turris illa ingens, & antiqua adhuc media ex saxis viuis extat. Ex ea peruetusta familia Petrus fuit, qui vxorem habuit Margaritam nobilem mulierem: quibus parentibus nata est puella nomine Labinia pulchritudine insolita, quæ ob intuentium stuporem domo exire, & apparere non poterat. Eius amore captus vehementer fuit Vizardus Rusca vnus ex

Gebel-

Gebellinarum factionum primarijs, cum autem in vxorem etiam indotatam à patre puellam petijsset cum exhibitione suppliciter facta, & pacis, & armorum contrà hostes, & negatiuũ retulisset responsum, valdè anxius, dum locum secretò frequentaret propè domum Patris Lauiniæ, quædam audiuit è via versus Molctrinas in sero ab eiusdem puellæ parentum ore, qui iugulandam potiùs proprijs manibus filiam, quàm Vizardo concedendam dixerunt inter se: (hinc discant ij, qui cubilia propè vias inhabitant, & neminem suorum dictorum auditorem habere credunt in propriam multoties perniciem) Vizardus igitur ore fremens, animoq; concipiens cædes, atq; rapinas, parte iam Gelforum à Turrianis, & Rusconibus depressa; hoc tamen à parente puellæ cognito, hæc in quadam Cisterna sicca saluatur extrà Aram maiorem Templi Diuæ Mariæ Magdalenæ, donec post paucos dies Vizardus fuerit interfectus, illiusque membra supra sepulturã nouem germanorũ patruorũ Pontici, quos ille occiderat, fuerint deportata, tanquam manibus crudeles inferiæ, vt qui voluit alios dare feris deuorandos fuit ipse prius Canibus, & Lupis exhibitus. Interea moritur Petrus, & sepultus in Marmoreis sarcophagis Aquilarum (sic erant corũ insignia) in Templo D. Presemnis de Turre, de quo diximus suprà. Gebellini minis insequuntur Georgium puerum formosum filium huius Petri, & patrem postea Pontici, canibus eũ præbere vorandum, quos ad hoc opus alebant factiones, dictitantes: erant frumenta quasi matura: Margarita eo metu perculsa clam ducit puerum ad possessiones suas ad Besacias, l. cum ad X. stadia à Mendrysio versus occasum, vt ibi lateret, donec ipsa tempus securioris secessus inueniret; domum reuersa, paulò post iterum ad puerum reddit; quem cum non statim inuenisset præ timore vitæ carissimi filij penè exanimata cecidit in terram, quò cum accurrisset filius, illa erecta de pueri mora valdè est conquesta, sed eidẽ statim marsupiũ pecuniarum auri, & glomum tephi tradit, cui præcipit, vt abeas tam

pro-

procul, vt Longobardia nomen non sit auditurus; qui dicto audiens contulit se Neapolim, ibiq; cũ Regina Ioanna plures egit annos cubicularij gratissimi gerens munus. Dum autem ibi moraretur multo fauore Reginæ, eo inscio à factionibus capitur Margarita Mater (ornamentum omnium illius regionis mulierum, vxor viri magnifici) & ducta violenter per stadia VI. à Mendrysio versus caput lacus Lugani (codlag dicitur vulgò) oppidulum, ibi in via in dextera parte ad arborem (heù nefas) suspensa fuit, cum illa Diuos omnes, & Cælum, & terram protestaretur in vindictam sui, & nouem filiorum præstantissimorum, qui in factionibus illis fuerant innocentissimè superiore anno à Vizardo interfecti, qui omnes simul sunt sepulti in sarcophago marmoreo extrà Templum Diuæ Mariæ Magdalenæ in via in contactu Aræ maioris in facie Phani quod Templum maiores sui condiderant cum nitidiss. hospitali largo prouentu dotato, ducta igitur, ergà filios nouem sepultos exclamauit citò veniam filij: sic imprecata, vt ex ossibus vltor nasceretur; quod verificatum fuit, idquè Georgius filius dormiens toties somniauerat, Templum illud diripi, & statuam Diuæ mulieris euulsis nouem dentibus cruentè superioribus à draconibus deuorari cum strepitu, & validis clamoribus. Hunc casum cum Antonius eius Filius, & quinque annis maior natu, quam Georgius, audiuisset, collecta multitudine suæ factionis ipsa Natalis Domini nocte Templum Castri S. Petri non procul à Mendrysio versus Comum ingressus maternos sicarios ad vnum truculenter trucidauit: & mulieres, & homines, & pueros, & Sacerdotem ad Altare, suprà centum. Hoc autem fuit anno Domini 1390. cum iam per decennium, & Georgius, & Antonius desperati exulassent. Antonij autem huius filius fuit Paulus cognomento Venetianus arte militari insignitus: Nam etiam in obsidione Scodræ, idest Scutri Ducis 500. hominum vices gessit: erant ibi peditum tria millia contrà quadringenta millia Turcarũ, & præsens Imperator eorum Amasmetus. Cum

autem

autem præ inopia rerum laboraretur, præsentibus etiam è Veneto Senatu legatis, oppidū pacifcentes defensores ei se dediderūt, ipse omnes, vita donata, voluit videre transeuntes: hi sunt homines idiomate suo dicebat: hi sunt exēpla Virtutis, & fidei; qui aurū meum negligūt: tum videns Paulum (præsentiam veri Ductoris miratus) nàm, & procerus, pulcher, & fortissimus, quæq; multa præclara gessisse ibi viderat Amasmetus, ea de causa cū eo multa locutus largis promissionibus eum habere tentauit, at ille animosè respondit nulli Regum seruire magis optasset, quā maximo Imperatori, nisi Venetis suam fidem obstrinxisset: quam omninò seruandā ducebat, vnde eiusdē virtus ità perspecta etiā in Barbaro inuenit laudationem; breui tamen pestilentiā domitus moritur, & ad XV. lapidem à Rauennæ Ciuitate, Cerniæ s. sepultus est propè turrim altiorem versus littora Adriatici Maris: de ipso extat luctus Pontici, quem græcè scripsit, in quo lamentabiliter deflet Κατιδυκον ἱππομέδοντος. Interim Amita Georgij idest vxor Patrui ducta desperatione diabolum acriter inuocauit, qua horrendè ab eo fuit rapta, & per contignationem, ipsam veluti veru ignito, & ardente perforando, deorsum asportauit, seu verius secum in infernum præcipitauit; quod spectaculum totam perterrefecit familiam, quæ alia etiam portenta obseruauit, nimirum magnam serpentum quantitatem è Turri quadam die prodeuntem per oppidum integrum, qui de sero disparuere omnes: Georgius autem paulò post equestri ordine à Regina Ioanna decoratus venit in militiam Venetorum: equum terribilem habebat nomine Draconem, & cùm armatus super eum incederet per vrbem Veronam à maximo vix euasit periculo, dum ipse ferocissimus equus prostratum equitem per viam pertraxit non modicam. Eodem tempore cum Thadeus Marchio Atestinus, pro Venetis in Illyriam imperator exercitus mitteretur, & Georgium suum compatrem aduocasset contra Iadram, Palatium idest Spalatro, & alias Vrbes Illyriæ, & Dalmatiæ fortiter segessit; Interea verò cum noui tumultus Bergomi, & Brixiæ insure-

surrexissent Thadeus in Italiam rediјt; sed Georgius in Illyria remanens baculo eodē militari fuit insignitus, vbi praclara multa gessit, nam & Ioannē Principē Iaara (qua Zaranum dicitur) singulari certamine à se superatū capit, misitq; vinctum Venetias rebellem toties relapsum in crimine eodem. Sicq; superbā vrbem Veneto subdidit Imperio, similiter capit alia multa oppida Sycum ideſt Sebenicum, & Spalatrum, quod olim fuit Palatium Diocletiani Augusti, quemadmodum ipse Ponticus ex quodam priuilegio ibi reperto, asseruit, idq; in Historiјs suis gracis adnotauit, & in commentariјs Bucolicorum Virgiliј in Aegloga Salonini, si Salonini debeat nominari; hac Bella tam insignia rerum Venetarum historicus prætermisit, & licet a Pontico nostro viua voce fuerit reprahensus, illè plus properabat ad 200. aureos annuales mercedis, quam ad res colligendas memoratu dignas. Eo tempore Princeps Radichius in Macedonia ab Oppido Phitileo capto à Turcis, & direpto amissa vxore, & filiјs vix ipse cum paruula filia Catinia nomine, & auri quantū potuit crumena mandare per posticum in syluam fugit; multi tamen oppidani aduentum Turcarum imminentem perhorrescentes, & deterriti à cracatu cornicum, quæ supra illud cælum copiosissimè apparuerunt vna die, quasi terribili voce regionis deuastationem canerent, dicentes Turàch Turàch, anteà aufugerunt; hic liceat fortunam sæuam increpare; Heù heù, sic sanguinis infelicis Pontici in manus Turcarum deuenire finis? Rapti ab illis pessimis barbaris fuère tres auunculi, & auia, & aliј Pontici affines; ò quantum plorabat Ponticus hac memorans! Venit cum Catinia ad Lauranam ad XXV. lapidem propè Iadram Radichius vbi quosdam habebat affines, ibiq; per biennium vixit in luctibus: Euasit Catinia formosissima, & nubilis, qua modestis moribus, in literisq; gracis erudita Adolescentularum optimarum norma erat. Contracta ibi amicitia cum Radichio Principe Giorgius, licet maturus teneram in vxorem filiam eius postulauit; quàm ei Radichius multis cum lacrymis in coniugem

con-

concessit, & pro dote Craterem aureum, Topacium pulcherrimũ, & viridissimum Smaragdum, Gemmasq; nonnullas, & pecuniam mille aureorum ex illis quos secum tulerat cum filia, dedit, Iadraq; cum filia, & Genero quietè commoratus est, per menses sex. Ast die quadam ad Catiniam filiam in Thalamum veniens, remotis alijs omnibus, sic filiam est allocutus, Catinia, inquit, filia, lux mea, vnicum cordis mei lenimen afflicti; tribus solummodo diebus tecum sum mansurus, nec amplius; ibo, ibo infelix, quò Perones isti, quos ad hoc emi, ferre me poterunt, ex Domino mendicus factus, immò hominum miserrimus; ah Turcæ isti impios Morathi eorum Regis manes vindicarunt, quẽ Morathum Mischos beli ... auus meus Dux exercitus Regis Moesiæ idest Bosinæ propria interemit manu, & gladiolo ab eo sub lacertis gestari solito: Vndè adhuc manus illa auro ligata supra fores Regiæ in Vrbe Adrianopoli, vbi tunc erat residentia Regis Turcarum de mandato principalioris Reginæ affixa cernitur; dicebat n. vxor Regis Turcarum manum illam, quæ tantum facinus perpetràsset non debere sub terram in sepulchrum condi. Sed fortuna, & tibi, & mihi abstulit omnia: Patrem tuum vide nunc; amplexare; osculare dum potes, quoniam nunquam amplius reuidebis illum miseranda filia; visu parentis dulcissimi dum potes satiare. Peractis illis tribus diebus continuo in eiulatu, & amaro planctu totius domus, non valuerunt filia ipsius, non Generi charissimi preces, non Religiosorum, qui eum iugiter consolabantur; amori Filiæ, Generi, & Amicorum vale dicere voluit; tandem recessit, plorante non aliter tota domo, ac si eius funus efferretur: nullam pecuniam, etiam contranitente quã maximè Genero, & filia, voluit secum ferre; venit Rauennam habitu miserabili, vbi angore animi, tadioq; viuendi nono die perijt incognitus, quamuis curatus etiam diligentissimè a famulo fidissimo Iordano nomine patria Veicetino eò cum magna pecunia clam misso à Genero, vt insequeretur Socerum, & nunquam eum derelinqueret à longè; tristem referente euentum

famu-

famulo inexcogitabiles renouantur lachrymæ, suspiria, & lamenta immensa attollũtur, totaq; Domus in mæstas sese effundit nænias, sed de his hactenus. Hic multis iam præclarè gestis, Georgius in Italiam reuocatus est, & tandem propter eius eximia in Remp. Venetam merita à Veneto Imperio præsidialem Viruni (nunc vulgò Ciuidal de Belun) Præfecturam recepit, ea in vrbe præstantissima versus Septentrionem ad montes sita, à Venetiarum Metropoli, per 45. mil. suprà Taurisium, idest Taruisium distante stationes fuere assignatæ; eam pinguem Vrbem fluuius Plauis alluit: fontibus centum nobilissima frigidissimis, qui, phystulis mediantibus, aquam lebetibus vsq; igni admotis infundere vbiq; valeant; ea est omnium aduenarum hospitum amicissima. Triustio vero, quod à tribus visibus, idest faciebus vulgares ridiculè vocant, ad XXX. lapidem dist. Illuc contulit se Labinia Georgij soror, quam in cisterna seruatam fuisse per plures menses supra diximus; ibiq; vitam tertij Ordinis agens Viruni tandem sepulta est in Templo diui Francisci. Antonium verò fratrem suum Georgius optima conscientia præditus misit Romam, vt peccata sua confiteretur, & absolutionem impetraret; iuit iste, rediijtq; & in suorum facinorum pœnitentiam, & remissionem impositionem habuit proficiscendi peregrè ad Sanctum Iacobum in fines terræ, iuit eò citò, indeq; rediijt sanus. Hyerosolimas tamen proprio arbitratu contendens suffocatur in Mari naufragus, piscibus esca marinis. Georgius autem Viruni Militiæ Præfectus ingenti stipendio, ibi per plurimos annos vitam satis felicem ad natos natorum prorogauit. Primogenitam tulit in primis nomine Lelinam, quæ Religionem Professa, & pietatem, & eruditionem non modicam præsetulit Abbatissa proprij Monasterij, cuius multi libri Ecclesiastici eius propria manu exarati in eodem suo Cœnobio adhuc extant in oppido quod Cadornum dicunt propè Virunum, vbi vitam finiuit sanctissima mulier. Perillam mox genuit: Magdaleuam: Laurentiam fælicissimo ingenio, quæ gracè,

& latinè euasit eruditissima, & pulchritudine excellentissima; hæ tamen omnes Atesti in Templo Diui Martini sepulturam inuenere; inter masculam prolem habuit Iosspinum, Casmilium, & Pierium iuuenem speciosissimũ, sed hunc nequissimum, qui post conualescentiam à morbo chronico ob Philtrum, seù poculum amatorium absorptum magicis intentus artibus miserabilissimum exitum sortitus à Demonibus peremptus est, in Villa Galzegnani propè Atestem versus Septentrionem; illa multa mira demonum illusus vi faciebat, vt satis explicauit idem Ponticus in Prohemio librorum de corruptis nominibus, & obscuris locis Auctorum. Ex Georgio igitur, & Catinia post longam excassam ætatem, & sobolem vtriusq; sexus longè præcessam xiiij. filiorum, tandem natus est Ponticus noster in eadem Vrbe Viruno ex Patre nonagenario adhuc robusto, & erecto trunco, & matre 54. annum ætatis agente, quod sinè dubio tanquam naturæ portentum haberi meritò poterat. In partu mater pariendi cruciatibus quasi mortua remansit; in lucem tandem nona luce puerum edidit; quod infortuniorum, ità nascentibus præludium esse solet; Auguria, & signa non pauca præcesserunt virtutem egregiam pueri indicatura; quoniam cum hic in incunabulis ipsis esset ignis quidam lambens cunas, & exardescens media in nocte genitores experrectos perterrefecit, qui exclamantes surrexerunt, & aqua multa conati sunt incassum extinguere flammas, quæ cum innocuæ, & adueniente luce euanescentes à Patre fuerint perspectæ ipse valdè lætatus est, nam cum esset litterarum callentissimus aliquid magni fore de puero argumentabatur, illudq; ostentum non semel, sed pluries apparuit. Paulò post Georgius Viruni moritur anno ætatis suæ centesimo, & in Phano D. Francisci in dextra parte à Cœnobio in templum euntibus est tumulatus; & antequam ipse moreretur per nouem dies venerat ex mendrysio eius vxor, eò profecta, vt agros venderet, dicebat itaq; se libenter mori, quia vidisset vxorem dilectissimã priusquã oculos clausisset; nouemdiales post cuius exequias puer

Pon-

Ponticus cecidit retrouersus de tabulato valdè alto in D. Francisci, vbi sunt organa, super pauimentum cum amissione sensuum, ità vt crederetur mortuus, & per duos integros menses neminem cognouit, nihilq; intelligere videbatur mēte stupidus factus. Mox Patauium mater pro cura filij accedens, ecce publica per totum ferè orbem insurexit pestilentia: ibi filiam nubilem Sabinam nomine amisit acutissimo morbo extinctam, in Temploq; Sancti Petri sepeliuit, vbi sunt ossa Petri Apponensis illius Philosophi magni; Ad oppidum Atestinum properat deindè ad xxv. lapidem Patauio versus occasum, vbi filias habebat duas Magdalenam, & Laurentiam nuptas, & pulcherrimas, vt diximus, quarum altera Laurentia nupserat nepoti Cardinalis Rouerellæ, ad quem Platina scribit librum de Honesta voluptate, ibi tandem, idest Ateste Catinia moritur, & in Templo D. Martini contiguo domui sepelitur, vbi, & prædictas filias antè tumularat in Capella (vt verbo Beati etiam Hieronymi vtar) Sancti Laurentij. In Pueritia Ponticus iam factus veges libenter lectitabat, & præter puerorum naturam Nasonem de Arte, & Achillis gesta Statij Poetæ auidissimè percurrebat, vitamq; sic transigebat iocundissimam, & magna cum gratia, futura enim sic suæ vitæ præsagiebat officia; Hæc, & multò plura à Pontico cognato meo audiui, & in confabulationibus amicorum suas pueriles non ineptias, sed acutissimas argutias, quæ quoniam leuiora sunt consultò ommitto; ipse certè semper fuit familiarissimus, & humanissimus, vt Philosophum decet, qui terrena floccifaciat, & tamen in terrenis versetur, ità de morte sentiebat, vt mortalia nihil timeret; solebat sæpè Euripidis versiculum recitare, & menandri θεῦ μύχθαι δεινὸν ἐπὶ κὰι τύχη *item mortem esse principium fælicitatis probis viris, neq; dolorem habere. Adultus itidem forma fuit singulari, facieq; cunctis gratissimus, ità vt in plerisq; Italiæ Vrbibus effigies ipsius, vel in annulis, vel ænea in numismatibus, vel marmorea ab amicis effecta fuerit, adeò vt in Patria Simeon*

meon Aldionus eques, & vir primarius hæc verba ad ipsum nominè Senatus scripserit, Pergratum fore Senatui, si ipse Patriam, in qua natus erat sibi non negaret, cum antea se Apaterem idest sinè Parentibus, & sinè Patria diceret, vnde ab eo tempore citrà se Virunium dixit, vndè Patria eadem Statuam æneam illi promisit. Moribus insuper fuit suauissimus, affabilis, fidelis, blandus, honorificus, indumentis vtens prætiosis insignibus, & odoratis: sed hanc partem inferius exarabimus. Fortunæ verò varijs casibus agitatus fuit, nam anno ætatis 14. defuncta iam matre cæpit errare per diuersas ciuitates, atq; regiones apprimè tamē doctus, & instructus vtraq; lingua, & græcè à matre Dorica, & latinè à præceptoribus excellentibus; Romam primo se contulit; inde cum illi obortum esset desiderium videndi maiorum suorum solum ad Oppidum Mendrysium diuertit, & tunc in bellis Ferrariensibus, & Venetis Scriba fuit honoratus, licet adolescens, indè Ferrariam se cōtulit, ac ibi per decennium bonis artibus incubuit: in Poesi, & Arte oratoria græcè, & latinè. Baptistam Guarinum tanta diligentia toto eo decennio audiuit, vt nunquam nisi tres lectiones amiserit: idq; in causa fuit, vt cum vulneratus fuisset nepos Matthiæ Regis Hunnorum cognati Ducis Ferrariensis, ipseq; Dux Hercules mandasset, vt omnes studentes interficerentur Hunni amici Ponticum innocuum, & tristem euocarunt è Gymnasio, & seruarunt ipsum. In Philosophia audiuit Leonicenum virum vtraq; lingua peritissimum; In Astronomia Petrum Bonum Augarium virum immortali gloria dignum; In Geometria, & reliquis Mathematicis Eremitum. Venetijs Hermagoram græcum, & alios græcos domi tenuit. Varijs in Vrbibus, quamuis admodum Iuuenis publico, & magno stipendio græcè, & latinè professus est, nam, & Arimini Pandulpho Principi Illustriss. quamuis adolescenti, & carus, & donatus; tamen casibus aliquot ibi peruersè agitatus absq; culpa, dum xi. libros de recondita Historia Italiæ scriberet, primusq; omnium non estenses dici debere,

sed

sed Atestinos manifestaret, ob duo loca martialis de Sabina Atestina, & causidico, &c. & ex monumentis, &c. (Sextus Attilius M. filius Serano Proconsul ex S.C. inter Atestinos, & Veicetinos fines, terminosq; statuit) ad Ducem Herculem Ferrariam est reuersus, vbi Antonio Vicecomiti Viro Generoso, & Illustri, qui Legatus erat Ludouici Sfortiæ Ducis Insubrum carissimus præceptor, cuius frater Principalis nomine, præceptorem Herculi, & Maximiliano filijs ipsius Ducis Mediolani assignauit, tunc reliquit Ponticus Meretriculam Diaboli, quam Arimini acquisiuerat malo omine, & hæc Paulo post Ferrariæ crudeli ægritudine, & vitam, & scelera finiuit: Mediolani fortunæ ruentis, siuè furentis ineuitabiles persensit casus; sed cadente Insubrorum Principe à Venetis pro Regno diuidendo per 18. Menses petito, Bernardino Corte Arcis præfecto eum prodente, cum eo totus orbis Terrarum corruit, ruit Ponticus, & mentitis vestibus ferè fuit interfectus, dum à Gallis fuit captus, sic enim quasi diuinitus miseram vitam non amisit; Rhegium vrbem præstantissimam, elapsus à periculo, se se recepit; de qua Vrbe in longa oratione funerali Agosoli multa elocutus est recondita. Rhegij igitur græcè, & latinè stipendio insolito, & quam maximo est professus, mirabili sua facundia, atq; rerum nouarum redundantia apud omnes maximè charus: per aliquot tempora in Senatu magna ciuium audientia primus omniũ opera Claudiani omnino innominati de Ruinis Italiæ, cum Italia rueret, explicauit, & auxit commentarijs, similiter callimacum à se græcè commentarijs suis explanatum voluit, sed de operibus illius inferius dicemus; ibi varijs fatorum factis affectus est; nam, & amoribus mulierum violenter ductus, dum publicè diceretur pro scommate xiij. puellas desponsasse. Cum autem Gerantinam Vbaldam Sororem meam, licèt adolescentulam, & formosam duxisset in vxorem mala fama cessauit, quo pacto se expurgatum, & bonis, & vrbi restituit. Odores Moschum, & Zebettum nimium morosè affectauit, quibus illecebris simul cum

aulicis

aulicis gestibus mulierosus erat, illisque gratissimus, itaut eo transeunte per vicos (quod centies vidi) ad hostium currerent fæminæ dicentes, transit, transit: hoc autem nescio num ex cælo etiam prouenirent, aut alia ratione occulta, quod inter mulieres incantator fæminarum haberetur sed muneribus exquisitis, & profusa liberalitate multa horum potuit efficere; Rhegium Patria mea harum rerum testis grandis esse potest; nec mirum, si talia hæc præstiterit, cum à pueritia huiusmodi materias studiosè fuerit sectatus, adeò vt de calopismis integrum librum conscripserit, naturalibus, aut etiam præternaturalibus secretis refectissimum. Crediderim tamen ego ipsum in huiusmodi venerea proplapsum ob facilitatem consuetudinis, eorum qui pertrahebant, incitabant ad voluptatem. Castus quidem erat à natura, in Templis orabat semotus ab alijs, & quantum erat in se libenter latebat, at inuitatus, & sollicitatus labebatur; ætate licet grandis sorbebatur oculis mulierum, etsi loqueretur non erat, quæ posset ei quidquam denegare; honestissimus tamen erat, & sermone, & factis in vniuersum; fuit etiam christianissimus, & valdè misericors, ita vt aliorum miserias defleret; tanta etiam pietate ergà matrem defunctam fuit, vt numquam absq; lachrymis illius recordaretur, dolebat se solum esse suorum in hoc mundo, tamquam peregrinum in deserto. Rhegium deserere instituit eo titulo, vt loca poetarum visurus, quæ falsis scripturis celebrantur corrigere posset, vt de locis aberratis scriptorum certum posset afferre indicium; sed in via quasi coactus Foriliuij publico munere vtriusq; linguæ conductus est, & magno stipendio prouinciam suscepit; ea Vrbs testis est inter alias quanta peregerit, vel oratione studiorum, & totiens in Senatu antè Legatos Summi Pontificis, & Magnos viros, & quanta exuberantia, & gratia dicendi ex improuiso valuerit magis quam paratus, aut memoria; semper cogitans apparebat; noctu chartam, & calamum ad manum semper habere volebat, ne in somnis otiosus fieret, immò clausis oculis scribere

e solebat, quæ mens dictasset res altissimas somniando: ri-
rarus fuit, non tamen austerus, sed modestissimus cum
ore quodam facie hilari semper ergà amicos; Vino, & cibo
dicus; gestibus admirandus; Commensalis perpetuus He-
rcorum, sed cum factiones innouarentur à Moratinis, &
maij expellerentur, tum iura humana, & Diuina polluta
it crudelitate ciuium, & dedecore mulierum, etiam vestaliũ,
Templorum omnium, vt Turcæ doluissent; Tunc Nicolaus
nasides, ad quem panegyrim scripsit, olim Pontifici Maximo
exandro Carissimus Episcopus, ac Duci Valentino, nec non
clesiastici exercitus commissarius Generalis Ponticum in Ar-
Forliuij carceri mancipauit, ibiq; eum quatuor mensibus in-
rris clausum detinuit, & ego quoque secum eram; de quo casu,
rebus suis ablatis, & violata Ancillæ filia innocentissimè
ibit in prohemio librorum, quos edidit de præponderationibus,
st de erroribus antiquorum; cum autem Iulius II. Pont. Max.
cem inuiseret, Ponticus pedes Pontificis humillimè osculatus,
se, propriãq; innocentiam cõmendauit, qui pro responso repor-
uit ambiguam mussitationem, & fontes aliquot statim suspendi
andauit; tamèn indolere casum Pontici visus est Pontifex, de
o multa etiã locutus fuit, immo cum eidem Pontifici studia de
dicijs singularum horarum, & dierum, mediante Cosmo Pa-
Episcopo Florentino, & Forliuij Gubernatore, quæ Ponticus
antlabat fuerint indicata, vt ad misericordiam tanti viri
ouocaretur, hoc solum dixit, quomodò facit, nec aliud vltrà,
mium fortè occupatus pondere mundi ruentis: Arcis Præfe-
us erat Iustinianus Amerinus Episcopus, qui quamuis alteri
rti faueret, Põtico tamen innocuo, & à factionibus quibuscunq;
horenti expensas, & quinque eiusdem Pontici familiaribus
rga liberalitate contulit, ægrotantem quoq; præanimi mærore
isitabat, insuper aureos multos non solum ore obtulit, sed ma-
u suppeditare contendit, quas tamen pecunias constantissimè
nuit Ponticus, infinitas tamen gratias agens; medicum ta-

C men,

Gebellinarum factionum primarijs, cum autem in vxorem etiam indotatam à patre puellam petijsset cum exhibitione suppliciter facta, & pacis, & armorum contrà hostes, & negatiuū retulisset responsum, valdè anxius, dum locum secretò frequentaret propè domum Patris Lauinia, quadam audiuit è via versus Molctrinas in sero ab eiusdem puellæ parentum ore, qui iugulandam potiùs proprijs manibus filiam, quàm Vizardo concedendam dixerunt inter se: (hinc discant ij, qui cubilia propè vias inhabitant, & neminem suorum dictorum auditorem habere credunt in propriam multoties perniciem) Vizardus igitur ore fremens, animoq; concipiens cædes, atq; rapinas, parte iam Gelforum à Turriante; & Rusconibus depressa; hoc tamen à parente puellæ cognito: hæc in quadam Cisterna sicca saluatur extra Aram maiorem Templi Diuæ Mariæ Magdalenæ, donec post paucos dies Vizardus fuerit interfectus, illiusque membra supra sepulturā nouem germanorū patruorū Pontici, quos ille occiderat, fuerint deportata, tanquam manibus crudeles inferiæ, vt qui voluit alios dare feris deuorandos fuit ipse prius Canibus, & Ludis exhibitus. Interea moritur Petrus, & sepultus in Marmoreis sarcophagis Aquilarum (sic erant corū insignia) in Templo D. Pusemnis de Turre, de quo diximus suprà. Gebellini minis insequuntur Georgium puerum formosum filium huius Petri, & patrem posteà Pontici, canibus cū præbere vorandum, quos ad hoc opus alebant factiones, dictitantes: erant frumenta quasi matura: Margarita eo metu perculsa clam ducit puerum ad possessiones suas ad Besacias, l. cum ad X. stadia à Mendrysio versus occasum, vt ibi lateret, donec ipsa tempus securioris secessus inueniret; domum reuersa, paulò post iterum ad puerum reddit, quem cùm non statim inuenisset præ timore vitæ carissimi filij penè exanimata cecidit in terram, quò cum accurrisset filius, illa erecta de pueri mora valdè est conquesta, sed eidē statim marsupiū pecuniarum auri, & glomum rephi tradit, cui præcipit, vt abeat tam

pro-

procul, vt Longobardia nomen non sit auditurus; qui dicto audiens contulit se Neapolim, ibiq; cũ Regina Ioanna plures egit annos cubicularij gratissimi gerens munus. Dum autem ibi moraretur multo fauore Reginæ, eo inscio à factionibus capitur Margarita Mater (ornamentum omnium illius regionis mulierum, vxor viri magnifici) & ducta violenter per stadia VI. à Mendrysio versus caput lacus Lugani (codlag dicitur vulgò) oppidulum, ibi in via in dextera parte ad arborem (heù nefas) suspensa fuit, cum illa Diuos omnes, & Cælum, & terram protestaretur in vindictam sui, & nouem filiorum præstantissimorum, qui in factionibus illis fuerant innocentissimè superiore anno à Vizardo interfecti, qui omnes simul sunt sepulti in sarcophago marmoreo extrà Templum Diuæ Mariæ Magdalenæ in via in contactu Aræ maioris in facie Phani quod Templum maiores sui condiderant cum nitidis, hospitali largo prouentu dotato, ducta igitur, ergà filios nouem sepultos exclamauit citò veniam filij: sic imprecata, vt ex ossibus vltor nasceretur; quod verificatum fuit, idquè Georgius filius dormiens toties somniauerat, Templum illud diripi, & statuam Diuæ mulieris euulsis nouem dentibus cruentè superioribus à draconibus deuorari cum strepitu, & validis clamoribus. Hunc casum cum Antonius eius Filius, & quinque annis maior natu, quam Georgius, audiuisset, collecta multitudine suæ factionis ipsa Natalis Domini nocte Templum Castri S. Petri non procul à Mendrysio versus Comum ingressus maternos sicarios ad vnum truculenter trucidauit: & mulieres, & homines, & pueros, & Sacerdotem ad Altare, suprà centum. Hoc autem fuit anno Domini 1390. cum iam per decennium, & Georgius, & Antonius desperati exulassent. Antonij autem huius filius fuit Paulus cognomento Venetianus arte militari insignitus: Nam etiam in obsidione Scodræ, idest Scutri Ducis 500. hominum vices gessit: erant ibi peditum tria millia contrà quadringenta millia Turcarũ, & præsens Imperator eorum Amasmetus. Cum

autem præ inopia rerum laboraretur, præsentibus etiam è Veneto Senatu legatis, oppidũ pacifcentes defensores ei se dediderũt, ipse omnes, vita donata, voluit videre transeuntes: hi sunt homines idiomate suo dicebat: hi sunt exẽpla Virtutis, & fidei; qui aurũ meum negligũt: tum videns Paulum (præsentiam veri Ductoris miratus) nam, & procerus, pulcher, & fortissimus, quæq; multa præclara gessisse ibi viderat Amasmetus, ea de causa cũ eo multa locutus largis promissionibus eum habere tentauit, at ille animosè respondit nulli Regum seruire magis optasset, quã maximo Imperatori, nisi Venetis suam fidem obstrinxisset; quam omninò seruandã ducebat, vndè eiusdẽ virtus ità perspecta etiã in Barbaro inuenit laudationem; breui tamen pestilentia domitus moritur, & ad XV. lapidem à Rauennæ Ciuitate, Ceruiæ f. sepultus est propè turrim altiorem versus littora Adriatici Maris: de ipso extat luctus Pontici, quem græcè scripsit, in quo lamentabiliter deflet Κεπιδυκον ἱππομέδοντος. Interim Amita Georgij idest vxor Patrui ducta desperatione diabolum acriter inuocauit, quæ horrendè ab eo fuit rapta, & per contignationem, ipsam veluti veru ignito, & ardente perforando, deorsum asportauit, seu veriùs secum in infernum præcipitauit; quod spectaculum totam perterrefecit familiam, quæ alia etiam portenta obseruauit, nimirum magnam serpentum quantitatem è Turri quadam die prodeuntem per oppidum integrum, qui de sero disparuere omnes; Georgius autem paulò post equestri ordine à Regina Ioanna decoratus venit in militiam Venetorum: equum terribilem habebat nomine Draconem, & cum armatus super eum incederet per vrbem Veronam à maximo vix euasit periculo, dum ipse ferocissimus equus prostratum equitem per viam pertraxit non modicam. Eodem tempore cum Thadeus Marchio Atestinus, pro Venetis in Illyriam imperator exercitus mitteretur, & Georgium suum compatrem aduocasset contra Iadram, Palatium idest Spalatro, & alias Vrbes Illyriæ, & Dalmatiæ fortiter gessit; Interea verò cum noui tumultus Bergomi, & Brixiæ insure-

surexissent Thadeus in Italiam rediјt; sed Georgius in Illyria remanens baculo eodē militari fuit insignitus, vbi præclara multa gessit, nam & Ioannē Principē Iaara (quæ Zaranum dicitur) singulari certamine à se superatū cæpit, misitq; vinctum Venetias rebellem toties relapsum in crimine eodem. Sicq; superbā vrbem Veneto subdidit Imperio, similiter cæpit alia multa oppida Sycum idest Sebenicum, & Spalatrum, quod olim fuit Palatium Diocletiani Augusti, quemadmodum ipse Ponticus ex quodam priuilegio ibi reperto, asseruit, idq; in Historijs suis græcis adnotauit, & in commentarijs Bucolicorum Virgilij in Aegloga Salonini, si Salonini debeat nominari; hæc Bella tam insignia rerum Venetarum historicus prætermisit, & licet a Pontico nostro viua voce fuerit repræhensus, illè plus properabat ad 200. aureos annuales mercedis, quam ad res colligendas memoratu dignas. Eo tempore Princeps Radichius in Macedonia ab Oppido Phitileo capto à Turcis, & direpto amissa vxore, & filijs vix ipse cum paruula filia Catinia nomine, & auri quantū potuit crumena mandare per posticum in syluam fugit; multi tamen oppidani aduentum Turcarum imminentem perhorrescentes, & deterriti à cracatu cornicum, quæ supra illud cælum copiosissimè apparuerunt vna die, quasi terribili voce regionis deuastationem canerent, dicentes Turàch Turàch, anteà aufugerunt; hic liceat fortunam sæuam increpare; Heù heù, sic sanguinis infelicis Pontici in manus Turcarum deuenire finis? Rapti ab illis pessimis barbaris fuère tres auunculi, & auia, & alij Pontici affines; ò quantum plorabat Ponticus hæc memorans! Venit cum Catinia ad Lauranam ad XXV. lapidem propè Iadram Radichius vbi quosdam habebat affines, ibiq; per biennium vixit in luctibus: Euasit Catinia formosissima, & nubilis, quæ modestis moribus, in literisq; græcis erudita Adolescentularum optimarum norma erat. Contracta ibi amicitia cum Radichio Princ ipe Georgius, licet maturus teneram in vxorem filiam eius postulauit; quam ei Radichius multis cum lacrymis in coniugem

 con-

concessit, & pro dote Craterem aureum, Topacium pulcherrimū, & viridissimum Smaragdum, Gemmasq; nonnullas, & pecuniam mille aureorum ex illis quos secum tulerat cum filia, dedit, Iadraq; cum filia, & Genero quietè commoratus est, per menses sex. Ast die quadam ad Catiniam filiam in Thalamum veniens, remotis alijs omnibus, sic filiam est allocutus, Catinia, inquit, filia, lux mea, vnicum cordis mei lenimen afflicti; tribus solummodo diebus tecum sum mansurus, nec amplius; ibo, ibo infelix, quò Perones isti, quos ad hoc emi, ferre me poterunt, ex Domino mendicus factus, immò hominum miserrimus; ah Turcæ isti impios Morathi eorum Regis manes vindicarunt, quē Morathum Mischos beli auus meus Dux exercitus Regis Moesiæ idest Bosinæ propria interemit manu, & gladiolo ab eo sub lacertis gestari solito: Vndè adhuc manus illa auro ligata supra fores Regiæ in Vrbe Adrianopoli, vbi tunc erat residentia Regis Turcarum de mandato principalioris Reginæ affixa cernitur; dicebat .n. vxor Regis Turcarum manum illam, quæ tantum facinus perpetrâsset non debere sub terram in sepulchrum condi. Sed fortuna, & tibi, & mihi abstulit omnia: Patrem tuum vide nunc; amplexare; osculare dum potes, quoniam nunquam amplius reuidebis illum miseranda filia; visu parentis dulcissimi dum potes satiare. Peractis illis tribus diebus continuo in eiulatu, & amaro planctu totius domus, non valuerunt filiæ ipsius, non Generi charissimi preces, non Religiosorum, qui eum iugiter consolabantur; amori Filiæ, Generi, & Amicorum vale dicere voluit; tandem recessit, plorante non aliter tota domo, ac si eius funus efferretur: nullam pecuniam, etiam contranitente quā maximè Genero, & filia, voluit secum ferre; venit Rauennam habitu miserabili, vbi angore animi, tædioq; viuendi nono die perijt incognitus, quamuis curatus etiam diligentissimè a famulo fidissimo Iordano nomine patria Veicetino eò cum magna pecunia clam misso à Genero, vt insequeretur Socerum, & nunquam eum derelinqueret à longè; tristem referente euentum

famu-

famulo inexcogitabiles renouantur lachrymæ, suspiria, & lamenta immensa attollũtur, totaq; Domus in mæstas sese effundit nænias, sed de his hactenus. Hic multis iam præclarè gestis, Georgius in Italiam reuocatus est, & tandem propter eius eximia in Remp. Venetam merita à Veneto Imperio præsidialem Viruni (nunc vulgò Ciuidal de Belun) Præfecturam recepit, ea in vrbe præstantissima versus Septentrionem ad montes sita, à Venetiarum Metropoli, per 45. mil. suprà Taurisium, idest Taruisium distante stationes fuere assignatæ; eam pinguem Vrbem fluuius Plauis alluit: fontibus centum nobilissima frigidissimis, qui, phystulis mediantibus, aquam lebetibus vsq; igni admotis infundere vbiq; valeant; ea est omnium aduenarum hospitum amicissima. Triuisio vero, quod à tribus visibus, idest faciebus vulgares ridiculè vocant, ad XXX. lapidem dist. Illuc contulit se Labinia Georgij soror, quam in cisterna seruatam fuisse per plures menses supra diximus; ibiq; vitam tertij Ordinis agens Viruni tandem sepulta est in Templo diui Francisci. Antonium verò fratrem suum Georgius optima conscientia præditus misit Romam, vt peccata sua confiteretur, & absolutionem impetraret; iuit iste, rediijtq; & in suorum facinorum pœnitentiam, & remissionem impositionem habuit proficiscendi peregrè ad Sanctum Iacobum in fines terræ, iuit eò citò, indèq; rediijt sanus. Hycrosolimas tamen proprio arbitratu contendens suffocatur in Mari naufragus, piscibus esca marinis. Georgius autem Viruni Militiæ Præfectus ingenti stipendio, ibi per plurimos annos vitam satis felicem ad natos natorum prorogauit. Primogenitam tulit in primis nomine Lelinam, quæ Religionem Professa, & pietatem, & eruditionem non modicam præsetulit Abbatissa proprij Monasterij, cuius multi libri Ecclesiastici eius propria manu exarati in eodem suo Cœnobio adhuc extant in oppido quod Cadornum dicunt propè Virunum, vbi vitam finiuit sanctissima mulier. Perillam mox genuit: Magdaleuam: Laurentiam fælicissimo ingenio, quæ græcè,

& latinè euasit eruditissima, & pulchritudine excellentissima; hæ tamen omnes Atesti in Templo Diui Martini sepulturam inuenere; inter masculam prolem habuit Iospinum, Casmilium, & Pierium iuuenem speciosissimũ, sed hunc nequissimum, qui post conualescentiam à morbo chronico ob Philtrum, seù poculum amatorium absorptum magicis intentus artibus miserabilissimum exitum sortitus à Demonibus peremptus est, in Villa Galzegnani propè Atestem versus Septentrionem; illa multa mira demonum illusus vi faciebat, vt satis explicauit idem Ponticus in Prohemio librorum de corruptis nominibus, & obscuris locis Auctorum. Ex Georgio igitur, & Catinia post longam excussam ætatem, & sobolem vtriusq; sexus longè præcessam xiij. filiorum, tandem natus est Ponticus noster in eadem Vrbe Viruno ex Patre nonagenario adhuc robusto, & erecto trunco, & matre 54. annum ætatis agente, quod sinè dubio tanquam naturæ portentum haberi meritò poterat. In partu mater pariendi cruciatibus quasi mortua remansit; in lucem tandem nona luce puerum edidit; quod infortuniorum, ità nascentibus præludium esse solet; Auguria, & signa non pauca præcesserunt virtutem egregiam pueri indicatura; quoniam cum hic in incunabulis ipsis esset ignis quidam lambens cunas, & exardescens media in nocte genitores experrectos perterrefecit, qui exclamantes surrexerunt, & aqua multa conati sunt incassum extinguere flammas, quæ cum innocuæ, & aduenente luce euanescentes à Patre fuerint perspectæ ipse valdè lætatus est, nam cum esset literarum callentissimus aliquid magni fore de puero argumentabatur, illudq; ostentum non semel, sed pluries apparuit. Paulò post Georgius Viruni moritur anno ætatis suæ centesimo, & in Phano D. Francisci in dextra parte à Cœnobio in templum euntibus est tumulatus; & antequam ipse moreretur per nouem dies venerat ex mendrysio eius vxor, eò profecta, vt agros venderet, dicebat itaq; se libenter mori, quia vidisset vxorem dilectissimã priusquã oculos clausisset; nouemdiales post cuius exequias puer

Pon-

Ponticus cecidit retrouersus de tabulato valde alto in D. Francisci, vbi sunt organa, super pauimentum cum amissione sensuum, ità vt crederetur mortuus, & per duos integros menses neminem cognouit, nihilq; intelligere videbatur mēte stupidus factus. Mox Patauium mater pro cura filij accedens, ecce publica per totum ferè orbem insurexit pestilentia: ibi filiam nubilem Sabinam nomine amisit acutissimo morbo extinctam, in Temploq; Sancti Petri sepeliuit, vbi sunt ossa Petri Apponensis illius Philosophi magni; Ad oppidum Atestinum properat deindè ad xxv. lapidem Patauio versus occasum, vbi filias habebat duas Magdalenam, & Laurentiam nuptas, & pulcherrimas, vt diximus, quarum altera Laurentia nupserat nepoti Cardinalis Rouerellæ, ad quem Platina scribit librum de Honesta voluptate, ibi tandem, idest Ateste Catinia moritur, & in Templo D. Martini contiguo domui sepelitur, vbi, & prædictas filias antè tumularat in Capella (vt verbo Beati etiam Hieronymi vtar) Sancti Laurentij. In Pueritia Ponticus iam factus veges libenter lectitabat, & præter puerorum naturam Nasonem de Arte, & Achillis gesta Statij Poetæ auidissimè percurrebat, vitamq; sic transigebat iocundissimam, & magna cum gratia, futura enim sic suæ vitæ præsagiebat officia; Hæc, & multò plura à Pontico cognato meo audiui, & in confabulationibus amicorum suas pueriles non ineptias, sed acutissimas argutias, quæ quoniam leuiora sunt consultò ommitto; ipse certè semper fuit familiarissimus, & humanissimus, vt Philosophum decet, qui terrena floccifaciat, & tamen in terrenis versetur, ità de morte sentiebat, vt mortalia nihil timeret; solebat sæpè Eripidis versiculum recitare, & menandri θεοῦ μύχεδαι δεινὸν ἐπὶ καὶ τύχη *item mortem esse principium fælicitatis probis viris, neq; dolorem habere. Adultus itidem forma fuit singulari, facieq; cunctis gratissimus, ità vt in plerisq; Italiæ Vrbibus effigies ipsius, vel in annulis, vel ænea in numisinatibus, vel marmorea ab amicis effecta fuerit, adeò vt in Patria Si-*

meon

meon Aldionus eques, & vir primarius hæc verba ad ipsum nominè Senatus scripserit, Pergratum fore Senatui, si ipse Patriam, in qua natus erat sibi non negaret, cum antea se Apaterem idest sinè Parentibus, & sinè Patria diceret, vnde ab eo tempore citrà se Virunium dixit, vndè Patria eadem Statuam æneam illi promisit. Moribus insuper fuit suauissimus, affabilis, fidelis, blandus, honorificus, indumentis vtens prætiosis insignibus, & odoratis: sed hanc partem inferius exarabimus. Fortunæ verò varijs casibus agitatus fuit, nam anno ætatis 14. defunctā iam matre cæpit errare per diuersas ciuitates, atq; regiones apprimè tamē doctus, & instructus vtraq; lingua, & græcè à matre Dorica, & latinè à præceptoribus excellentibus; Romam primo se contulit; inde cum illi obortum esset desiderium videndi maiorum suorum solum ad Oppidum Mendrysium diuertit, & tunc in bellis Ferrariensibus, & Venetis Scriba fuit honoratus, licet adolescens, indè Ferrariam se cōtulit, ac ibi per decennium bonis artibus incubuit: in Poesi, & Arte oratoria græcè, & latinè. Baptistam Guarinum tanta diligentia toto eo decennio audiuit, vt nunquam nisi tres lectiones amiserit: idq; in causa fuit, vt cum vulneratus fuisset nepos Matthiæ Regis Hunnorum cognati Ducis Ferrariensis, ipseq; Dux Hercules mandasset, vt omnes studentes interficerentur Hunni amici Ponticum innocuum, & tristem euocarunt è Gymnasio, & seruarunt ipsum. In Philosophia audiuit Leonicenum virum vtraq; lingua peritissimum; In Astronomia Petrum Bonum Augarium virum immortali gloria dignum; In Geometria, & reliquis Mathematicis Eremitum. Venetijs Hermagoram græcum, & alios græcos domi tenuit. Varijs in Vrbibus, quamuis admodum Iuuenis publico, & magno stipendio græcè, & latinè professus est, nam, & Arimini Pandulpho Principi Illustriss. quamuis adolescenti, & carus, & donatus; tamen casibus aliquot ibi peruersè agitatus absq; culpa, dum xi. libros de recondita Historia Italiæ scriberet, primusq; omnium non estenses dici debere,

sed

sed Atestinos manifestaret, ob duo loca martialis de Sabina Atestina, & causidico, &c. & ex monumentis, &c. (Sextus Attilius M. filius Serano Proconsul ex S.C. inter Atestinos, & Veicetinos fines, terminosq; statuit) ad Ducem Herculem Ferrariam est reuersus, vbi Antonio Vicecomiti Viro Generoso, & Illustri, qui Legatus erat Ludouici Sfortiæ Ducis Insubrum carissimus præceptor, cuius frater Principalis nomine, præceptorem Herculi, & Maximiliano filijs ipsius Ducis Mediolani assignauit, tunc reliquit Ponticus Meretriculam Diaboli, quam Arimini acquisiuerat malo omine, & hæc Paulo post Ferrariæ crudeli ægritudine, & vitam, & scelera finiuit: Mediolanì fortunæ ruentis, siuè furentis ineuitabiles persensit casus; sed cadente Insubrorum Principe à Venetis pro Regno diuidendo per 18. Menses petito, Bernardino Corte Arcis præfecto eum prodente, cum eo totus orbis Terrarum corruit, ruit Ponticus, & mentitis vestibus ferè fuit interfectus, dum à Gallis fuit captus, sic enim quasi diuinitus miseram vitam non amisit; Rhegium vrbem præstantissimam, elapsus à periculo, se se recepit; de qua Vrbe in longa oratione funerali Agosoli multa elocutus est recondita. Rhegij igitur gracè, & latinè stipendio insolito, & quam maximo est professus, mirabili sua facundia, atq; rerum nouarum redundantia apud omnes maximè charus: per aliquot tempora in Senatu magna ciuium audientia primus omniũ opera Claudiani omnino innominati de Ruinis Italiæ, cum Italia rueret, explicauit, & auxit commentarijs, similiter callimacum à se gracè commentarijs suis explanatum voluit, sed de operibus illius inferius dicemus; ibi varijs fatorum factis affectus est; nam, & amoribus mulierum violenter ductus, dum publicè diceretur pro scommate xiij. puellas desponsasse. Cum autem Gerantinam Vbaldam Sororem meam licèt adolescentulam, & formosam duxisset in vxorem mala fama cessauit, quo pacto se expurgatum, & bonis, & vrbi restituit. Odores Moschum, & Zebcitum nimium morosè affectauit, quibus illecebris simul cum

aulicis

aulicis gestibus mulierosus erat, illisque gratissimus, itaut eo transeunte per vicos (quod centies vidi) ad hostium currerent fœminæ dicentes, transit, transit: hoc autem nescio num ex cælo etiam prouenirent, aut alia ratione occulta, quod inter mulieres incantator fœminarum haberetur sed muneribus exquisitis, & profusa liberalitate multa horum potuit efficere; Rhegium Patria mea harum rerum testis grandis esse potest; nec mirum, si talia hæc præstiterit, cum à pueritia huiusmodi materias studiosè fuerit sectatus, adeò vt de calopismis integrum librum conscripserit, naturalibus, aut etiam præternaturalibus secretis refertissimum. Crediderim tamen ego ipsum in huiusmodi venerea proplapsum ob facilitatem consuetudinis, eorum qui pertrahebant, incitabant ad voluptatem. Castus quidem erat à natura, in Templis orabat semotus ab alijs, & quantum erat in se libenter latebat, at inuitatus, & sollicitatus labebatur; ætate licet grandis sorbebatur oculis mulierum, etsi loqueretur non erat, quæ posset ei quidquam denegare; honestissimus tamen erat, & sermone, & factis in vniuersum; fuit etiam christianissimus, & valdè misericors, ita vt aliorum miserias defleret; tanta etiam pietate ergà matrem defunctam fuit, vt numquam absq; lachrymis illius recordaretur, dolebat se solum esse suorum in hoc mundo, tamquam peregrinum in deserto. Rhegium deserere instituit eò titulo, vt loca pœtarum visurus, quæ falsis scripturis celebrantur corrigere posset, vt de locis aberratis scriptorum certum posset afferre indicium; sed in via quasi coactus Foriliuij publico munere vtriusq; linguæ conductus est, & magno stipendio prouinciam suscepit; ea Vrbs testis est inter alias quanta peregerit, vel oratione studiorum, & totiens in Senatu antè Legatos Summi Pontificis, & Magnos viros, & quanta exuberantia, & gratia dicendi ex improuiso valuerit magis quam paratus, aut memoria; semper cogitans apparebat; noctu chartam, & calamum ad manum semper habere volebat, ne in somnis otiosus fieret, immò clausis oculis scribere

bere solebat, quæ mens dictasset res altissimas somniando: risu rarus fuit, non tamen austerus, sed modestissimus cum decore quodam facie hilari semper ergà amicos; Vino, & cibo modicus; gestibus admirandus; Commensalis perpetuus Hexarcorum, sed cum factiones innouarentur à Moratinis, & Nomaij expellerentur, tum iura humana, & Diuina polluta sunt crudelitate ciuium, & dedecore mulierum, etiam vestaliũ, & Templorum omnium, vt Turcæ doluissent; Tunc Nicolaus Bonafides, ad quem panegyrim scripsit, olim Pontifici Maximo Alexandro Carissimus Episcopus, ac Duci Valentino, nec non Ecclesiastici exercitus commissarius Generalis Ponticum in Arce Forliuij carceri mancipauit, ibiq; eum quatuor mensibus integris clausum detinuit, & ego quoque secum eram; de quo casu, & rebus suis ablatis, & violata Ancillæ filia innocentissimè scribit in prohemio librorum, quos edidit de præponderationibus, idest de erroribus antiquorum; cum autem Iulius II. Pont. Max. Arcem inuiseret, Ponticus pedes Pontificis humillimè osculatus, ei se, propriãq; innocentiam cõmendauit, qui pro responso reportauit ambiguam mussitationem, & fontes aliquot statim suspendi mandauit; tamèn indolere casum Pontici visus est Pontifex, de quo multa etiã locutus fuit, immo cum eidem Pontifici studia de Iudicijs singularum horarum, & dierum, mediante Cosmo Patio Episcopo Florentino, & Forliuij Gubernatore, quæ Ponticus exantlabat fuerint indicata, vt ad misericordiam tanti viri prouocaretur, hoc solum dixit, quomodò facit, nec aliud vltrà, nimium fortè occupatus pondere mundi ruentis: Arcis Præfectus erat Iustinianus Amerinus Episcopus, qui quamuis alteri parti faueret, Põtico tamen innocuo, & à factionibus quibuscunq; abhorenti expensas, & quinque eiusdem Pontici familiaribus larga liberalitate contulit, ægrotantem quoq; præanimi mærore visitabat, insuper aureos multos non solum ore obtulit, sed manu suppeditare contendit, quas tamen pecunias constantissimè renuit Ponticus, infinitas tamen gratias agens; medicum tamen,

men, & medicamina gratis ab eodem missa acceptauit. Tandem Ponticus opera Hippoliti Cardinalis Atestini è custodia liberè eductus in publicum fuit, qui à cohorte militum stipatus in forum venit, & ad Cardinalem introductus cui gratias immortales egit, ab eo literas accepit patentes, vt in Vrbibus fratris tutissimè posset manere quibuscunq; & vt suis statim prouideretur indigentijs mandauit. Sic mansit Bagnacaballi in Flaminia quinq; mensibus ob loci amœnitatem; indè Rhegium se contulit, quo iam antea vxorem miserat, vt ibi commodius editioni suorum operum incumberet, igitur torcularia emit, & literas impressorias, tam græcas, quam latinas, illi namque in promptu erant multi egregij libri manuscripti ab eo compositi citrà quadragesimum annum ætatis suæ. Hos autem libros hic recensere lubet, & primo solutæ orationis, deindè græcos, & latinogræcos, post modum metricos; ante omnia in Salustium commentarios composuit, & ferè persuasum reliquit Catilinariam coniurationē nō esse Salustij, licet illi adscriptam, sed Ciceronis; De Grammatica reconditissima lib. ij. contrà omnes Grammaticos, & maximè Priscianum, Guarinum defendens auctoritatibus xxx. antiquorum, cum vita, & emendatione Alexandri Doctrinalis, & additionibus. Item de Callopismi secretis mirandis; commentarios item in Ouidij metamorphoses eruditissimos, similiter in Achilleida Statij, & eius syluas, quas clarissimas, & emendatissimas reddidit ex collationibus multorum antiquorū codicum; In Poeticam Oratij, & eius epistolas; In omnia opera Claudiani; In sphæram Ioannis de Sacrobosco, & eum contrà garrulatores defendit, barbaros omnes exosus commentatores, præposita oratione ad sensum demonstratiua de effectibus Astronomicis; primus latinorum ostendit quantum adiumenti afferat vndiquè Poesis Philosophiæ, autumans pauperis esse ingenij Virgilium, Ouidium citare in his, quæ in ore puerorum, & famellarū versātur, & nō in intimis medullis græcæ, & latinæ eruditionis; item de corruptis nominibus libros vij. damnans plu-

res interpretes auctorum. Scripsit insuper orationes aliquot funerias, epithalamicasq; & aliarum rerum libros tres. Item xvi. libros de tota arte Diuinandi antiquorum, in quibus quatuor sunt de interpretatione somniorum per causas philosophiæ, lib. 1. de induendo, de istigationibus, & de augurijs alijs, & extispicijs, & pyromantia. Commentarios insuper in Bucolicam, Georgicam, & Aeneadem Virgilij, & in omnia alia opuscula Maronis, vbi in intelligentia Maronianæ doctrinæ, sibi videbatur Animam Maronis adinuenisse, & ostendit in Marone omnes Græcorum typos, constructionesq; itàut græcè optimè, sic in Idiomate latino; præterea xi. libros de recondita Historia Italiæ, vt diximus, quorum quinque Herculi Duci Ferrariæ dedicauit; similiter quinque libellos de Historia Britannica, vbi Cæsarem taxat in commentarijs. De præponderationibus, idest de erroribus antiquorum, item comment. in lib. officiorum Ciceronis, & in Tusculanas eiusdem. De fato. Hactenus de libris latinis solutæ orationis: Græcè autem conscripsit commentarios in Hesiodum ἔργα καὶ ἡμέραις *Commentarios in Hymnos Callimachi; Commentarios in Orpheum de virtutibus Gemmarum; Commentarios in quartum librum Epigramm. iuxtà ordinem maximi Planudij, Congregationem Poetarum. Item Luctum in Paulum Venetum Patruelem suum; Lexica idest vocabulistas; tradixit similiter de græco multa in quibus consueuit de verbo ad verbũ transferre pro vtilitate addiscentium; tamen omni cura, omniq; ingenio laborabat leporem illum dicendi græcorũ traductis clausulis totaliter infundere; sic traduxit Odas Pindari omnes; & de græco in latinum librum vnum de Helena Demetrij Moschi ad Ludouicum Regem Galliarum, qui impressus est cum admirabili Prohemio reconditis rebus pleno; item Iliada, Odysseiam, Hymnos, de Bello Ranarum, & Murum libros v. & vidi eum ridere de Carulo, Aretino alioquin docto; qui cæcus dixerit, qua super genibus descripsi carmina nuper, vt perfecto iam opere cum* ἀεὶ *græcè legitur nauis, & in præsenti, non in præterito,*

 item

item omnia opera Hesiodi lib. v. Argonauticon Apollonij lib. iv. Theocriti xxxx. Idylia, omitto paruulos Poetarum libros Musaum, Phocyllidem, & alios; De Tragicis Euripidis Tragedias tres, Sophoclis iv. Tragedias, cupiens reliqua omnia græcorum auctorum impressa ab Aldo eius olim amico, & socio conuertere in latium; De Aristophane Ranas, Pluuiam, & alias multas comædias; sic dialogos multos Luciani; circa oratoria omitto multa de Isocrate, nam de Demosthene, epitaphia, orationes, & alia, Aristidis aliquot orationes; In Mathematicis Musicam Ptolemei, Musicam Plutarchi, de Historijs Zonaræ librum vnũ; in Medicina Theophilum de pulsibus, & vrinis; Paulum Aeginetam, Aetium, magnum Siciliosum, Sophistam; Melanpodis librum vnum eiusdem materiei. Prætereà inuectiuam contrà Pandulphum Collenutium, quem momum appellat pro defensione Leoniceni; sed postea Pandulphus Pontico amicissimus factus Ponticum affectione incredibili prosequebatur; qui tamen capite truncatur à Principe Pisauri, quià Ducem Valentinum contrà eum incitasset; Inter ea quæ scripsit Ponticus Græcolatina enumerantur cõmẽtarij in Erotemata Chrysoloræ, vel Guarini cũ oratione præposita de necessitate, & laudibus literarũ græcarum; Aſt nunc de libris, quos metricè conscripsit dicamus; antè omnes mihi placent libri de miseria literarum carmine heroico exarati; cuius origo, & causa fuit somnium quoddam, in quo Georgius Valla mortuus sibi videbatur, cuiq; componeret epitaphium carminibus xxxx. constans, eoq; die adeò Mercurius ingenio fauit, vt 300. carmina composuerit; eoq; ipso die voluit Venetias scribere literas admonitorias Georgio Vallæ, vt sibi caueret, sed iam fuerat captus dũ Placidius scriba Ioannis Iacobi Triultij Proregis, quẽ Triultiũ olim erudiuerat habitu, clãdestino indutus eum in via salutasset, decem virorum iussu interlegendum de Sella raptus, incarceratur, & cum in carcere carmina Pontici auditoris iam sui legeret exclamauit heù Pontice: tu Præceptoris tui tam viuĩ, quam mortui haud obliuisceris; sed voleutem impellunt

pellunt

pellunt fata, nolentem trahunt, &c. huiusmodi fletus ad numerum duos integros conscripsit libros Ponticus de literarum infelicitate, in quorum vltimo discurrens cum Poetis græcis, atq; latinis ostendit quamplurimos Philosophos, & doctos viros mala morte periisse; Elegias iocundissimas, & præstantissimas in materia quorundam ebriorum, cum epigrammatibus, tum græcis, tum latinis in libris iv. digestas concinauit: De laudibus Beatricis lib. iv. subtilissimis, & ingeniosissimis inuentionibus raprehesentatos. Ipse Ludouicus Sfortia Dux Mediolani, cum vxorem amissam semper lachrimaretur, nil carius, nil gratius audire poterat ad proprium leniendum dolorem, quam hos libros legere historijs græcorum, & fabulis reconditis refertos, pulcherrimaq; inuentione digestos; suauissimè propterea flebiles, quid quid pulchri Homerus, Pindarus, Orpheus, Apollonius, Euripides, Sophocles, Aristophanes, Aeschilus, Quintus Calaber, Eryphiodorus, Iolutbus, Intuumus, Isocrates, Demosthenes, alij q; attulerint, eo opus suum concinnauit, ex ornauit, vt dolore, mæstitiaq, mixta cum quadam suaui cõsolatione relinquat lectores affectos; eoq; magis Princeps ille lectioni prædictorũ librorum libenter vacare videbatur, quià scientijs omnibus suapte natura inclinatus, doctorum virorum, & omnium virtutum erat amantissimus; Huiusmodi librorũ hoc erat Argumentũ, & Subiectum, primò auctor in illis inuocationem nouam inuenit, Principem per tres dies continuos sacrificantem in Templo introducens, siccis lauri frondibus coronatus, habitu lugubri, quarto die pro ritu sacrorum accensis lampadibus semper nouis in aurora flores offerens sepulchro iterat preces afflictus, & ieiunus in eo orandi ardore, nouo funere, & Diuinis visionibus corripitur, ecce illi in visione oritur Sol nigro indumento, & apparens inter Astra Apollo anxius, lamentabilisq; videbatur cum Stilbonte, & Phenone socijs suis conquestus quod ea nocte lucem mundo in concilio fatorum præbere eo die negauisset: quo erat Beatrix Iunonis Nympha primaria moritura, sed à Planetis, Stellisq; fixis insignioribus coactus, & à Ioue,

à Ioue, iniuriam sphærarum mobilium exaggerat. Ecce Ata filia Iouis, & calamitatum dispensatrix longo flagello Mediolanũ aduolabat, sed Iuno tumultum audiens præparato curru Mediolanum aduentabat, vt fatis, & ruinæ obsisteret, vbi cum in terram descendere Ticinus fluuius ambrosiam decurrere cæpit; Iuno Arcem ingressura videt signa mortis vbiq; explicata in pinnaculis, inq, fumarijs, pallorem scilicet dolorem, luctus, lachrymas, & sic de fictione in fictionem admirabilis Poeta octauo, aut decimo quoq; versu progreditur, in Vexillo mortis erant terra, & omnia elementa depicta Cælum, & Planetæ quoq; morituri, nam Calũ, & Terra transibunt, &c. ex profunda quoq; Stoicorum doctrina; in fine de laudibus matrimonij multa sunt adiecta; longum nimis esset hic omnia recensere, & inserere capitula; id tamen vtilissimum duco innuendum, quod à principio ad finem præsentia hæc bella, Italiæq; ruinam affabrè narrat, de Curia Beatricis Iunonia, & choro nympharum: non commemorabo epistolas græcas, atq. latinas, quas luculentur scripsit ad plurimos amicos, ab alijsq; accepit innumeras, & ab Hermolao Barbaro, & à Georgio Valla, & à Demetrio Mosco, & ab alijs Græcis omni sæculo præclarissimis, quæ sanè possent magnum componere volumen; libris igitur tot, ac tantis supra 250. Rempublicam mirũ in modum auxit literariam; cum igitur ipse Ponticus Rhegij degens paratis impressorijs torcularibus æneisq; figuris literarum, vt suos gloriosos labores publicaret, venit Rhegium Ducissa Ferrarensium cum qua erat Bonazolus medicaster sceleritatum omnium officina, & Diaboli Philosophaster, in matricula mercatorum: res inaudita sæculorum omniũ! Fraudibus iste, non Bona, sed Mala solus, suis Ponticum virum probum, & ingenuũ Ferrariam adduxit magna promittens, ast paucissimis diebus matrices, & torcularia violenta fraude eripuit; & quod magis est Iustitiam à Principe malis artibus præocupato, consequi minimè potuit ipse Viruninus, vndè rebus sic desperatis in Flaminiam, cum cognatis se transtulit, indèq; Lycum grandi stipendio eò adductus;

ductus; vbi librum inuectiuarum contrà Bonazolum construxit; mens tamen inquieta, bilisq; continuò agitata letalem illi struxere morbum, & eò magis quia vagabantur populares quædam febres semicontagiosæ ex influxu cælesti pendentes, inuenti nãq; fuere in illo tractu 5000. hominum duplici quartana laborantium, quas ipse etiam per V. mẽses vehementer fuit vexatus, tandem morbus in genua illi descendit, vt ferulis male sustentaretur, & non nisi circa brumam liber euasit, verum ità imbecillis, vt tanquam scheleton appareret, & tunc etiam pleuresis eum inuasit, ex qua, propter necessariam phlebotomiam, & inadiam mortuus ambulãs videbatur postquam è lecto surrexit; mox cogitauit, & si serò, Bononiã bonis omnibus affluentem experiri, intelligens ibi eò temporis vigere sanissimã constitutionem, eò igitur aufugit, tanquam etiam ad literarum, & literatorum refugium; & licet esset ferè exanimatus cum vxore ægrotante, citò tamen recreatus, & refocillatus integrè sanus est factus in domo Marci de Alicornis, seù de Mont' albanis eius veteris pernecessarij, immò, & per antiqua consanguinitate sibi iuncti; dum autem noua pararet immortalitatis monumenta, & amœniora quidem, vt saluti propriæ consuleret, ecce in maiori bellorum Iulij Pontificis II. efferuescentia, furore Gallorum inde aufugit in Picenum; tandem ad Charandum filium suum paruulum, qui mihi est nepos ex sorore mea librum imitationis in ij, librum epistolarum Ciceronis scripsit cum prohemio contra eiusdem Ciceronis interpretes, honesta excusatione intercedente, magisq; rationibus, & argumentis, quem librum subitario quodam instinctu scribendum suscepit, & octo dierum spatia perfecit; iam tum dirigebat natum ad Paterna studia. Erat tunc Esiæ, idest Iesi in Vmbria, seù Piceno, vulgariter Marca d' Ancona, stipendium bene nouit optimum illa Regio, dum Italia arderet furẽtibus Gallis, & alijs Barbaris infinitis, & arderet Patria Propertij Asis idest Assisium, contra interpretes non esse ex Meuania, idest Beuagna, sed Assisianum certum habere. Ex Esia Sigismundus

Gon-

Gonzaga Illustrissimus Legatus Piceni, & Cardinalis amplissimus Mantuanus ad Macellatam Vrbem Piceni regionis Italiæ secum honorabili stipendio, & fauore conduxit; cui multa de Apsyrto, de medicina Animalium, & Equorum traduxit è græco. Et Federico Gonzagæ Marchioni nepoti præfati Cardinalis Græcas, & Astronomicas doctrinas explicauit, atq; prælegit; viuebat tunc temporis non fælix animo, licet virenti ætate, ego autem hic calamum deponens Parentem è cælo non vereor spectare carissimum, nec non matrem illius lætantem in elysijs, atq; eius nomine hæc effari de nostro Virunio, est ne hic ille Puer, quem in meis vidualibus mestitijs tanquam delicias meas educaui? Nec dubito Margaritæ de qua diximus ab initio innocentissimæ mulieris manes candidissimos risisse, litato Vizardo Basilisco, & secum victimis monstrosis; adhuc veniet tempus, quo ex sera posteritate curiosi, & docti videntes Virunum Patriam Musarum, & doctorum virorum, Paulum Diaconum tempore Caroli Magni florentem, & Odericum Historicum ducentorum annorum Hunnij, idest Vdeni sepultum, Petrum Valerianum, & nostrum Ponticum Virunium visitabunt summisq; laudibus extollent; Mendrysij ciuitati congratulabuntur, quæ Statuam illius, & pictas imagines iactare poterit, & tandem Rhegio ob talem incolam congaudebunt, cuius ingenio qualibet Patria plurimum se debere fatebitur.

FINIS.

